Opuscula

VIA JURIS
AD DOCTORALEM
Juridici Honoris Lauream,

PER LABORES ET MERITA

Perillustris Clarissimi & Admodum Reverendi Domini

D. M. STANISLAI KUTLINOWSKI,

Utriusq; Juris LICENTIATI ac PROFESSORIS, Ecclesiarum; Collegiatæ S. MICHAELIS in Arce Crac: DECANI, in Koniusza CURATI;

DUM

A

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO

D. M. JOANNE LUKINI.

Utriusq; Juris DOCTORE & Professore, ejusdemq; Facultatis DECANO, Ecclesiarum; Cathedralis Crac: CANONICO, Collegiatarum; SS. OO. Crac: CANCELLARIO, Visliciensis PRIMICERIO, Parochialis Sławkoviensis PRÆPOSITO, Contubernij Jagelloniani PROVISORE,

Utriusq; Juris DOCTOR

solenniter renuntiaretur,

A

M. JOSEPHO GREGORIO POPIOŁEK,

Phil: DOCTORE & Professore, Collega Minore, S. ADALBERTI in Circulo Crac: PRÆPOSITO, Strzałkoviano Geometra Jurato,

ad publicas gratulationes

panegyricâ pennâ

DEMONSTRATA.

Annô Domini 1731. Die 9 Mensis Februarij

CRACOVIÆ TYPIS ACADEMICIS.

ODE VOTIVA.

QUod circularis per peripheriam
Mundi, per æquor, per juga montium
Excelsa ferris ad remotam
A Lechia celer usq; Thulen

Subsiste famæ Numen amabile!
Subsiste quæso! sique placet vide;
Quàm pulchra, quàm datur peractis
Pro meritis copiosa merces.

Cernas, ùt aurô gloria clarior
Lucente, necnon laudis adorea
Viros coronat eruditos,
Quôve super trahit astra calle.

Fortuna gressus ambiguo pede
Periculosos mille quidem terit;
Sed quâ in tholos honoris itur,
Una nisi via Juris extat.

Hanc præter unam, (climata gentium
Nôrint & Indi, nôrit Arabs niger)
Nullum ad superna Dignitatum
Posse viâ meliore duci.

VIA JURIS
AD DOCTORALEM
Juridici Honoris Lauream.

MEns hominum, pelagus votorum, quamvis frequentibûs ferveat procellîs, ut commissa eventuum navigia, coronata gloriæ promontoria inveniant; sæpè tamen non prævidet per acroceraunia & syrtes, per scyllas charybdesq; ejusmodi quæri debere provinciam. Fames gloriæ cujus cordis non inest præcordijs? cujus palatum non urit? Omnium certè illicium est, cunctorum appetitus accendit. Sed portioni tantæ non apud singulos justa condimenta invenit. Placet Mundi Domitoris Nomen; sed ad subscribendum ipsi, ferrati calami, cruentatæ sepiæ exosæ, pectoris robur concidit, manus tremula pavet, contremiscit. Placent Cæsarum elephanti, Pompejorum Leones: aliorum cervi, aliorum subacta Regum quatuor colla cum triumphante in Capitolium Appia plurimorum amori sunt; sed indomitis fortitudo timenda, rarô elucet fervore, rariore exemplô. Quippe ad immortales ignes, multi clarere etiam cum Herostratis poscunt; cùm sepultæ Dianæ bustum id, non annosos phænices, sed sæculis abominabiles noctuas parturiat, pro-

dat. Antiochos in luxu opum, in lascivienti fortuna ad æmulandum quærunt, contra fortia (velut ille adversus Latium) cristas erigendo, jubas Leonum simulant, clypeos minantur & castra, ad incudem malorum, malleum parant & ignem; cùm tamen cereus in arduis conatus, vix ardore belli adustus in otia diffluat, mollibus inter strata rosaria deditus, duriore tegi lorica detestetur: chalybeatos abjiciat procul mucrones: pro tubarum Martis clangore, Nympharum cantus adaptet, stratagema ex hoste speratum; ex se ipso, sæva fugiente prælia ponat: vestigia montosi, ac proinde monstrosi partus linquendo, pro victoria, risum & fabulam sæculorum excitet.

Enimverò Magnorum in Orbe Virorum, quibus probitas cunabula struxit, eademq; gloriæ ac honoris mensuram posuit, ad Augustalia Honorum, alia semita est, & gressus diversi. Amant quippe cæterîs eminere; sed operosîs virtutibûs: cupiunt inter Soles videri, sed laborum prodigiô. Ad coronã eorum Olympiacus ludus est non lusus: Meridem in certando conatus, qui Stentoris cum Mercurio, aut Arachnes cum Minerva. Fortes fortibûs in altiora nituntur; ut generosiore spiritu famem famæ extinguant: ac è vestigio laxati in omnem fortunam animi, spectandæ fortitudinis, posthumæ ætati, exemplaria statuant. Exactîs aliorum laboribûs oderunt coronari. Trahitur ad Hectoris ausus puer Ascanius: dedecet Scipionem Æmiliorum tantùm partîs celebrari triumphîs. Audet etiam indomitam ire in Africam; ubi Terrore Latij superato, ad Patrium Nomen Africani gloriam adjungeret.

Tantum ad coronam iter, etiam in Regno Sapientiæ triviale est, docta intrantibus Lycæa in

primo

primo liminum ingressu obvium. Floridîs quidem Literarum consitum ordinibûs, non tamen absq; puncturis, per quas aculeatus labor in summa eruditionis juvat ire; ibi palmares laureas, serta virentia, demonstrando. Hinc etiam exosum est gloriam quærentibus, celso eminere in loco, sinè luce sapientiæ: solô æstimari, non sale Scientiæ. Negant parvos Surculos, in ingentes assurgere posse Platanos, in cedros excrescere, ni sudorifero frontis rigentur stillicidiô, acutiori mentis acumine, velut strictiori dolabrâ sæpiùs purgentur, scindantur, à nocivis depurentur stolonibus. Negant Parnassios Apollinis Lares, ni priùs alti difficultatum caucasi superentur. Fructus alios non poscunt, quàm laboris: dulcores alios non prælibant, præter eos; quos durissimus molestiarum ad literas cortex effundit. Coronas alias non sumunt, præter collectas ex spinis laborum, operosæ virtutis artificiô & industriâ contextas. Hoc primo à Te alta mente reconditum PERILLUSTRIS DOMINE NEO DOCTOR; qui peramplîs in Orbe Literario laboribûs, numerosîs vitæ Tuæ virtutibûs, elegisti priùs mereri honorem, quàm habere. Edoctus, experientiâ rerum magistrâ, sinè textore suo purpuram non rubescere, annulum sinè malleo non quenqvam ornare; per labores & merita, ad Doctoralem Lauream viam Juris tutissimam haberi. Permitte id ampliori describere calamô. Quidquid ille exprimet, brevis emphasis erit, meritorum Tuorum breve compendium: ast profusæ in Te Honoremq; Tuum venerationis & plausuum à me debitorum veram tractabit materiem.

Ea est laboris potentia, ut licetsi ubivis locorum valcat, ubiq; æstimari mereatur, ille tamen

 faci-

faciliùs ducat ad coronam, qui novit generosiores enutrire animos: viros, jam aliàs lectissimîs ornatos decoribûs, ampliùs decorat; illam sibi præfigendo sedem, ad quam per excelsa & abrupta, aut carpendum iter aut volandum. Labor, quò gravior est, eò apud Orbē ponderosior: ad majores virium impensas, acceptabilior: plùs æstimatur per prodigos conatus, intensus; quàm remissô studiô delicatè tractatus. Improbus est, qui omnia vincit, gloriosiùs attollit sui cultores; dum jugo molestiarum pressos profundiùs deprimit, nec aliter depressos erigendo, nisi erigat deprimendo. Unde est quod antiqvus Romanorum Status servabat, non ad quemcunq; triumphum, Civicam aut Navalem enasci debuisse. Millies vitæ discrimen adeundum erat, per sæva hostium funera posteritati fænerandum; ut pretiosum captatæ gloriæ pignus sumeretur. Labor viam Juris ad Laureas, ad immortales corymbos recludit; sed iis vel maximè, qui non verentur invia pro obviis habere, per aperta rerum pericula duci, utramq; fortunam subire; passum hunc strepitum juris vocitando; per quem processus in via juris ad coronam formandus. Non desunt enim tituli & leges, digesta & codices, ac alia in via hac caussam honoris legitimam in sæculorum fastos inducentia. Animi vigor, dum magna audere concitat, citat ad Tribunal prœmiatricis virtutum justitiæ. Et ùt ad propositum, de Viris inter Literas clarissimis loquar; quotquot erudita Lycæa, Doctorales Cathedræ, præclara scientiarum recensent dogmata, quotquot subtiliori dilemmate gloriosè gesta comprobant; tot digesta revolvunt, codices producunt, capitula annotant, rem ipsam in tantum evincentia; ut lege jubente non dispu-

tante,

tante, cognatus honoribus labor, Orbis in ſuam partem ſententiam trahat. Quot habitû contractæ lucubrationes, docto è cerebro partus progeniti, atq; hinc emanantes encomiorũ congeries; tot canones, tituli, paragraphi per Capita diſtributi; unde in omni foro plauſus, in omni Subſellio æſtimatio, in omni Judicio legitimitas proceſſûs, per laborem ad Lauream decernitur, debita operarijs merces, conceditur, redditur.

Hoc in Te probâſti Perilluſtris Domine NEO DOCTOR, qui animi præſtantiâ ſuadente, virium urgente fortitudine, cuncta vitæ Academicæ Olympia, per duros & acerbos diſpoſuiſti labores. Etenim ſi Profeſſorales domi & foris peractos recenſuero, multùm eſt, quod intendam, nedum eos brevî hoc condignè deſcribam eloquiô. Egiſti ſemper, quod Laureatos decet: ad utrumq; in Philoſophia elevatus gradum, eam ſervabas ſcientiarum eminentiam, quæ Te in quavis ſtatione præſtantiorem aliîs redderet Profeſſorem. Præſertim cùm in Orbe Academico, ad literarum culturas continui redeant cum luce labores, fructus honoris onus, laborumq; prœmium labor ſit; illico cum Toga Academica induiſti genium illum, qui Te ſorte quavis paratum certare oſtenderit. Certè enim prælectiones Philoſophicæ, reſonantia eruditione pulchrâ Lectoria, ſedatæ lectioni donata tempora ornabantur à Te eâ dexteritate, quæ optimis ingenita eſt: eâ alacritate, quæ ſtudioſiſſimis Artium cultoribus convenit. Libris accumbere, primum oblectamentum mentis erat; utpote à quibus proveniens pallor, cum candore Academico Tibi nimis intimo plurimum concordabat, uterque illorum pari aviditate ſeſe ingerebat Tibi; à quo pari ingenio contrahebatur,

tur, eos imitante; qui inextincto sapientiæ capti amore, solidas diebus noctes maritare suever unt; ad solis labores, & ad Cleantũ lucernas, illustriores prodituri. Tuum erat non solùm proprios tolerare, ast etiam alienos portare æstus; gnarus optimè non soli Atlanti Divinos deberi honores, quòd succolumOrbi suo egerit; sed & Herculi, qui & propriîs cæteros superavit factîs & vicarium Atlanteo ponderi supposuit humerum. Hoc tunc in publica eruditione, quid in privata? ad quam pulcherrimæ flos juventutis concurrebat; ut heliotropij more, Te solem proprium, pietate doctrinâ, ac omnigenâ imitaretur virtute. Evenit id in SZEMBECIJS, SMIETANCIJS, ORACZEWSCIJS, ac alijs; qui Te fontem suum quoties hauserunt, toties coronârunt. Sicut & ad præsens coronant: nam in Republica Polona Viri Dignissimi, per palatum Procerum Regni, cui permagè placent, luculenter demonstrant, quàm sapidissimos scientiarum fructus ad Aulas eorundem tulerunt, à Te cum maturitate, nectare svavitatis morum desumpto. Tanta vitæ Tuæ comitas, in educandis Aquilæ Sarmaticæ pullis sollicitudo, quemadmodùm ex se ipsa satis exacta & accommoda fuit; ita Te eòusque deduxit; ut majori studentium Legioni, ampliori Juventutis flori excolendo, præfici, institerit. Hinc Contubernium Staringelianum, conjuncta Ordinum Academicorum vota ultrò tradidere; ubi aliquot annorum Senior, quamvis ex titulo & dignitate, commisso præfuisti gregi; magis tamen permaturîs moribûs pietati ac modestiæ junctis talem Te esse probâsti. Nihil enim boni, collati promunt tituli; si ab eis, officiosa authoritas longè distat; ac veluti actiones rectæ rationi dissonæ

à re-

à regula perfectionis discrepant, èlongantur. Collata dignitas, velut medentium virtus est; quæ dum per symptomata nocivos non abolet humores, ô quàm speciosum est in rebus inane! cum athomis tumescere dignum, serenam perturbaturum auram. Primam sapientiam timere DEUM, revereri Majores, seriò intimare, principale Senioratus Tui regimen erat: cui, quia parere parata adstat eruditio; hanc peramplè tenellis imbibisti plantis. Nil jucundiùs erat Perillustri, Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino M. MARTINO KUROWSKI, S. Th: DOCTORI & PROFESSORI, Ecclesiarũ Colleg: S. FLORIANI ad Crac: ac Vieliciensi PRÆPOSITO; Contubernij illius Provisori; quàm gremium illud studentium; manu Tua optimè gestum spectare. Unde etiam MARTINUM verè se esse monstravit, in Te prosequendo; cujus beneficia in pectore grato, velut in rasa tabula, sicut indelebili charactere notabas; sic Doctoralem in Theologia ascendenti Cathedram, Panegyricâ famulabaris pennâ. Ita tamen, ut etiam in alijs celerem proferres promptitudinem: nam collapsum in partibus Contubernium, resarcire proponenti; manus adjutrix fuisti. Eò laboriosiùs, quò sæpiùs imposita totius Almæ Universitatis negotia aliò avocabant. Etenim Vice Procurator, vel ut expressiore utar nomine, Syndicus Universitatis electus, grandem Reipublicæ Literariæ bajulabas molem, nec tamen alijs deeras officijs, quinimò & à Professorali munere nec transverso ungue recedere, totis curabas viribûs. Si tempestatem malorum bono communi naufragam exoriri vidisti; Tua sollicitudo erat, non sanitati, non vitæ parcendo, etiam ex ipsis fontibus erumpenti, fortia adaptare obstacula;

vel si hæc subsistere nequibant, jam ultra limites effusæ procellæ retrahendæ, Tua opponere pericula. Honoris Academici conservatio, non minus Tuo inerat amori, quàm sors Tua & felicitas; non Tibi sed ejus commodo successus fortunatos cumulans; etiam vivere Tuum, integritati ejus consecrabas. Crevit hic amor in Te feliciter, donec amplissimæ benevolentiæ omnium contexerit coronam, votis Tuis ad amussim aptaverit. Et principaliter fortissimi rerum Academicarum Atlantis, jam decies Sceptra Literaria sicut & nunc feliciter tenentis Magnifici Perillustris & Reverendissimi Domini M. MARTINI WALESZYNSKI, Sacræ Theol: DOCTORIS & Professoris, Collegij Majoris SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum Cathedralis Cracov: CANONICI, Montis S. GEORGIJ in Scepusio & Præmykoviensis PRÆPOSITI, Contubernij Hierosolymitani PROVISORIS, Canonizationis B. JOANNIS CANTIJ PROCURATORIS, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarij CENSORIS, Studij Generalis Universitatis Cracoviensis PROCANCELLARIJ ac Vigilantissimi RECTORIS.; qui Te plurimîs probatum documentîs, sincero erga se ferventem candore, non minùs Paternô prosequebatur affectu, quá Regiîs Alexander suum Ephestionem favoribûs. Non abstinet & ad præsens ab illis; cui fluentes gemmeô cæli gratiarum pulvere horas, dies absque adversitatum nube, menses ab inconstantibus Lunæ laboribus longinquos, quia felicissimos, in longævos precaris annos; teste pennâ scribentis. Minor Collega factus, Tibi quidem minimus videri volebas, qualem modestia & humilitas in omnibus præsentissima pingebat Universo; sed solertia

men-

mentis, felix in resolvendis rerum difficultatibus activitas, cæteris præstantiorem efferebat: non secus, ac sub velo Timantis conclusæ virtutes; ex quibus nulla tantopere latuit, ut eam Apellis penicillus non posset depingere, veram conservando simmetriam. Quare Regio-Jagellonianum Contubernium Tuo regimini subjectum; ubi Senior, bono illius loci providus, nihil de teneritudine animi remittendo, de rigore juventutis educandæ, æquanimitate servatâ, adimendo nihil; plantulis illis, in vireto Literario, adeò felicem instillabas rorem; ut optimæ spei herbam porrigentes, in florem Ecclesiæ ac Patriæ creverint venustissimè, magna eorum ornamenta futura. Altiores dein de Te luctabantur honores: Pinczoviense Solum, laboriosum in Vinea Literaria Triptolemum flagrabat; ut DIRECTOR illius, ad GONZAGARUM AQVILAS, sublimiùs Nomen ejus efferres. Aliunde verò Decanalis Facultatis Philosophicæ trahebat Purpura; ut Te Principem Philosophantium investiret. Diremit litem conspiratus Patrum, ac Fratrum affectus; cordibus eorum medullitus inhærens, nè oculis quoq; eripereris; in Decanali Sede Te urserunt locari; firmiter concludentes, nec Tui animum, nec Facultatem in Purpura hac rubore confundendam; cui egregias dotes ad decorandum applicâsti. Equidem Purpura hæc ex se quidem satis ornata, nitida, loco Principe digna; cæterùm nemo est, qui eâ indutus, interdũ rodente non atteratur tineâ, molestos non effundat sudores, rubore ejus non pallescat. Hanc tamen sicut alacrî excepisti humerô, sic fortiore gessisti; ut sub tanto munere & onere indefessus Athleta videreris. Felix in enucleandis Philosophiæ Thesibus, in Professoribus fovendis gratiosus, quàm u-

ber sit Jagellonis Manipulus in Laureatis tredecim Viris ostendisti.

Ultimam verò instantiam in Via Juris ad Lauream laboribus & meritis debitam, in hoc Purpurato Decanalis Honoris Subsellio non præfixisti. Etenim ulterior causæ prosecutio, ampliùs de Republica Literaria merendi Tibi indicta erat; dum nondum finito Principe illo Officio, ad Augustum Sacræ Themidis Archilycæum, Collegium nempè Juridicum, nova Tecum intentata actio, novus formatus Processus. Ursit Divinior Astrea; ut inter cætera sui Luminaria Cœli, Sidus non postremum fulgeres: & effecit, ut Collega Juridicus factus, tantum præcelsâ Juris scientiâ inclaresceres; quantum studiosa ejus ingenia, profundæ vastitate mentis in commodũ publicum derivare quærebãt. Sive sacros explanabas Codices, sive Civilia resolvebas digesta; regula Tuæ Professionis extitit, abdita Legum arcana recludere, nodos resolvere, facilitare, ita; ut quotquot Tyrones Te Professore docta Juris prælibârunt dogmata, Athenas non sciscitando in peritissimos evaserint Licurgos ac Solones. Adfuit ejusmodi magnarum qualitatum æstimatio, censuerunt Proceres Academici Te quibusvis supparem esse munijs; illico Actorum Rectoralium Notarius assumptus, ab alijs intimo cordis cubiculô receptus, omnem affectuũ Oeconomiam commissam habuisti. Quod manifestavit almum illud Literarum Præsidium, grande Decus Columenq; rerum Perillustris olim & Reverendissimus D. M. ANDREAS KRUPECKI, Utriusq; Juris Doctor, Canonicus Cathedr: Crac: Almæ Universitatis Senior Pater, Procancellarius & multoties Rector; utpotè non tantùm in vita sua Te Paterno fovens amore; sed qui etiam ulti-

ultimam sui voluntatem moriendo Tibi reliquit. Huic Tu profusis licèt parentabas lachrymis; præcavebas nihilominus, nè tanti Patris in corde clientali memoriam extingueres. Foves in pectore grato vivam Ejus imaginem; cui devota ad Superos suspiria, cum vita dedicâsti.

Censuit tandem amor universi, gloriam Academicæ Gentis, ampliùs per Te promovendam: decrevit viam meritorum Tuorum, non sub uno climate terminandam, non uno sub Jove deducendam, tractandam: adeoq; ad Literarum Fontem, sub Minori Lechiæ Polo probatum, in Majoricam, Coloniæ Posnaniensis expedivit Directorem. Suscepisti officium satis onustum & arduum, intrepidâ animi constantiâ; meminens Te Almæ Matris commodo, vitam totam, nedū vires debere. Signatum aggressus es iter, hinc affectuum numerosô stipatus satellitiô; illinc dolore Confratrum ob Tui absentiam (quasi triennium illud longa nexurum esset sæcula) comitante: Provinciâ verò illa ob Tui adventum, plurimùm sibi ominante, spondente. Cujus ùt primùm frontem aspexit; illico pulchram sibi & Academiæ illi gratulata faciem, per Tui præsentiam ad vota sua exhilaratam. Et non immeritò: si enim tempus illud revolvi permitteretur; videretur imprimis; quantô animorum concursu, Magnatum æstimatione, Tuo muneri præfuisti. Quantum à Te laboratum est, ut Pinus Lubransciana, in suo, non modò conservaretur, ast etiam augmentaretur vigore, nominis illibati flore purpurasceret, cum selecta gloriæ auxesi cresceret. Novisti perbellè, quomodò primi Mobilis agitatione, reliquæ sphæræ necessitate quâdam rapiuntur, feruntur; adeoq; laboris scholastici prima norma, primum exemplum fui-

 sti;

ſti; unde in Profeſſoribus laboris amor, in educanda Juventute ſollicitudo, in deductis privatim ac publicè literarijs ludis æmulatio, regularis in omnibus progreſſus ſervabatur. Huc accedebat ſuavis in dirigendo poteſtas, amabilis in tractando authoritas, æſtimanda in commonendo gravitas, gregis commiſſi reciprocus amor, diligentia. Et quamvis poteras nonnunquam, juſtà indignatione moveri, æqualî pretiô temeritatem penſare; moderatio animi effecit, ut pro vindicta, benevolentiâ utendo, plura impetrares modeſtiâ, quàm imperiô & violentiâ. Moleſtabant ſæpiùs mentem congeſtæ curarum multitudines, adverſi fortunæ caſus premebant; non tamen in ſuppeditandis Tuorum neceſſarijs contractum egiſti Zenonem: manum de tabula, in reficiendis laborantium viribus non ſubtraxiſti. Gravabat adverſa valetudo, duplici Lunæ ætate, in lectulo detineri cogebat; quid tunc acerbiùs erat, an Te, condolente proſpectare pupillâ; an de rebus Coloniæ ſollicitum, anxium videre? Non concidebas animô in promovendo Loci commodo, quamvis viribûs laſſus, ac penè deſtitutus fueras. Acerbitatum morbi, remiſſionem dicebas; dum de lectulo doloris à Lectione Juridica non deſiſtebas; potiſſimam conſolationem habendo; curſum Scholarum ordine non intermiſſo fluentem, aut videre, aut ſaltem pro certo audire. Non tam Te Tua fata premebant, quamvis ferè totô trienniô, ſcopus ad ſagittam eorum fueras; quàm Profeſſoris alicujus infeſta ſanitatis aut vitæ conditio: unde dictitabas ſæpiùs: malle ſe adverſitatibûs premi, quàm Profesſorum adverſis indolere vicibus, eorum triſtî conturbari vultu. Tantus erat Profeſſorum amor ac æſtimatio! hinc quidquid gloriosè actum, Tuum e-

rat:

rat: quidquid ſedulô frontis effuſum ſudore; in Te velut totius cauſati originem & fontem redundabat. Conſervabit præconia Tua, Academia illa; quam non tantùm in conſervato ejus honore, aſt ad ruinam vergentem, ſat firmiter fulſiſti. Canet pietatem, in Dulce Præſidium Columenq; Regni Lechici, Orbis Literarii Patronum, CANTIUM; cujus Icona, in prima fronte Academiæ, non parcens incolæ loci, tenuitati, depingi curâſti. Dicent de Te omne optimum Theſes Theologicæ, quas in plurimis diſputationibus, inter docta Sacrarum Familiarum Agmina, dexterrimè oppugnâſti. Perorabunt & perorant laudes Tuas, formatæ Divorum panegyres; quas ſacer Eccleſiaſtes, è publicis exedris, facundiſſimè concinnâſti. Æſtimabunt ſicut æſtimavere ſvadam Tui, Regni Proceres; quâ Præfecturam Majoris Poloniæ poſſidentes binos Generales, PRZEBENDOVIUM ſcilicet & SZOLDRSCIUM, cunctorum arrectîs mentibûs, ſalutâſti. Verbô, ſi omnia Tui recenſerem illo ſub climate geſta; dicerem, quòd ſingula, perennes Tibi exhibent laudes, promunt adoream. Hanc adſcripſerat, ingens illud Eccleſiæ & Patriæ Decus, Illuſtriſſimus olim & Excellentiſſimus Dominus JOANNES TARLO, Epiſcopus Poſnanienſis; qui, ſive in arduis Coloniæ negotijs, ſive in familiari Tecum colloquio, frequenti accubitu, gratioſum ſe Tibi exhibuit. Hanc viderat, norma Cleri & exemplar virtutum Illuſtriſſimus olim KAZNOVIUS, EPISCOPUS Domitiopolitanus, SUFFRAGANEUS & OFFICIALIS Generalis Poſnanienſis, non ſolùm inde; quòd Judiciorum Ejus Aſſeſſor continuus, legum & juſtitiæ amans fueras; ſed etiam, quòd ei in pluribus Diæceſis difficultatibus, amicitiâ conſtanti, prudentiâ

extiteras probatissimus. Hanc agnoverat Illustris-
simus olim & Excellentissimus Dominus MAT-
THIAS à Radomicko RADOMICKI, PALATI-
NUS Posnaniensis, non solùm inde, quòd Te ve-
lut Pater filium, in causa Coloniæ ad Tribunal Pe-
tricoviense tendentem susceperat, expediverat, in-
stantiùs recommendaverat; sed quia Tui obtutu
semper frui gaudebat, eò majori cum dolore; quòd
Eum annîs & laboribûs Reipublicæ confectum,
invida fata Tibi eriperent. Hanc pleriq; Statûs
utriusque Viri, communi animorum adjudicabant
oraculô; quibûs eò tristior occasus Tuus in Or-
be Majoricæ Polonæ videbatur; quò clarior ap-
paruerat ortus, meridies affabilior, jucundior. Fu-
eras enim plurium amicorum, quàm in officio Di-
rectorali peractorum dierum: cum tempore, be-
nevolentia accedebat amplior, & quò plures exe-
gisti horas, eò majora sentiebas affectuum incre-
menta. Unde, quorum corculum & animam gere-
bas, eorum cum Tui Cracoviam reditu, vitã auferre
videbaris; quorum invisceratus amicitiæ extiteras;
optimam partem ademisti, dum Tui privâsti con-
sortio. Rediisti itaq; munere Directorali, sat stre-
nuè, sat gloriosè gesto, ad Fontem; à quo, plùs
quàm fortunam Cæsaris vehens, peculiarî diver-
teras alveô. Rediisti ad sinum Almæ Matris Uni-
versitatis; quæ Te pleno affectûs gremiô sicut ante
foverat; sic redeuntem lætabunda suscepit. Un-
de, post expeditum tàm celeberrimè in via Juris ad
Coronam processum, vix ad Generalia Reipubli-
cæ Literariæ comparuisti Comitia; facta conspi-
ratione votorum, peremptoriè decisum; ut bra-
vium id, ad quod laboriosís currebas passibûs ac-
ciperes, ac in hoc subsellio ultimæ instantiæ, per
labores & merita currens, ad Doctoralem in Ju-
re

re Lauream, causam lucrareris. Autumnus hic affectuum, traxit quidem Te in Decembrales asperitatum ferias; ast illas tolerare ludus Tibi & lusus fuerat; utpote experientiâ edocto: nucem fractam, adhuc tenuiori denudandam esse coriolô, ut sapidiùs edatur: rosam cum flore carpendam, inter spinas latere: coronam sinè prementi contactu non haberi: nec dulcia gustari, à non prælibantibus amara. Ubique triumphantem causam, etiam testibûs firmâsti; dum Licentiam ad capessendum præmium Laboris, cum dilucidata de Testibus Quæstione obtinuisti: ac tantis de præmissis Executoriales, lati à Sacra Themide decreti experiris. Eas Tibi gratulari plures desiderabant, quàm ad nunc gratulantur: nam modestiæ conscius, elegisti non festinandum esse, ubi res ipsa pro certo haberetur. Stetisti in summo Juris gradu ad Doctoralem in Jure Honorem, non tamen Olympiis Tuis metam, non plùs ultra præfixisti; ut in via laboris, animi laxare habenas desineres. Etenim pro cultu MARIANO in Arenis stetisti Orator, & ex sacris Exedris MARE GRATIARUM, Visitationis solemnia concludendo, ore fluido celebrâsti. Hæc & plura alia, in Te videre, optaverat diebus suis Vir Magnus, quô, in Orbe Literario non surrexit Major, Perillustris olim Clarissimus & Admodùm Reverendus Dominus M. JOANNES EKART, Utriusq; Juris Doctor ac Professor, Ecclesiarum; SS. OO. Collegiatæ Cancellarius, &c. &c. sicut & Lauream Juridicam; ad quam affectu suo Tibi præiverat. Remoratus es vota Senis per omnia venerandi; Ejus interim cliens, quàm Con-Doctor esse volendo. Unde, urgentibûs ad Superna fatîs, ultimo spiritu in manibus Tuis resedit, in eis agonem vitæ finiendo,

olympia ætatis suæ, Tibi continuanda reliquit. Id fatetur KONIUSZENSIS ECCLESIA in Te Successore JOANNIS; tot recentibûs ornata decoribûs, supellectilî sacrâ, ditata; sonantibûs gloriam Altissimi perorans Laudibûs; quot Cultibûs, Domus DEI sanctitudo vigere cupit, devotione Tuâ, ampliata. Crescere hanc fecit, in collatis, seu potius effusis in Te favoribus, Gentis Sarmaticæ Corona, Illustris ac Magnificus Dominus JOSEPHUS de Otffinow OTFFINOWSKI, Capitaneus Szczerczoviensis, Vir in Magnis Aborigenibus, ornatissimus: in antiqua & Nobilissima GRYPHORUM Familia magnanimus, sicut virtutum aliarum; ita pietatis in DEUM, generositatis in homines Accrescens JOSEPHUS. Sit hystoriarum labor, GRYPHOS quondam ante Reges Ægyptiorum præferri, quod cum nato in cordibus eorum unione, corda Regum cum populo unirent. Id extra omne Symbolorum genus verum est, morum comitate, rerum prudentiâ, affabilitate OTFFINOVII, cunctos in venerationem Ejus attrahi: unde condignũ, ut Nomini Illustrissimorum GRYPHORUM cognatus honor, in Domo hac Subsellia Amplissima cum Majestate firmet, unita sibi Numinis Supremi experiatur hilaria. Quippe, eminentem summitate sua, Ecclesiam illam, altiùs eminere causavit; dum Te in Pastorem Loci illius assumi præ aliis primò censuit; qui Religione ac exẽplari vitâ, Ovile commissum pasceres, nutrires ac regeres. Quod ne assentatoriè loqui videar; testentur Sacræ Exedræ, ex ijs promanantes ore Tuo, sanctioribûs evolutæ paginîs edisserant voces, quàm saluberrimum exhibeant pastum, mentes æternitatis sollicitas, ad palatum saginent. Equidem neminem Ovilis illius conscium dixerim; qui sive no-

biliori

biliori Sangvine dives, sive communiori adstipulatus auræ, veri Pastoris rem & nomen adesse Tibi non profiteretur; qui & Altaria cogitans exstruensq; & egenorum inopiæ subveniens, utrumq; pari alacritate exequeris, utrumq; sumptuoso opere adimples. Æstimatio Tui apud singulos, ea est; quæ filiorum in Patrem: amant & verentur; scilicet: ne de officioso cordium vectigali quidpiam denegent, certant amore: ne Pastoris corrigiam rumpant, vel sereni vultus offendicula inveniant, verecundiam servant. Majorem æstimationem Tui inter numerosas Cælituum Legiones, Principes Ecclesiæ formant; Eorum Ædes dum adornas, vigili curâ in speciosiorem reformas florem; efficiunt, ut ornamentum Cracii Academi, copiosîs Cælestium Charismatum rosetîs vivas, vireasq; secundus.

Sed justumnè exili sepiæ, fontem laudum Tuarum exhaurire? cùm ille novîs pedetentim ebulliat rivulis; Tua verò modestia, alti silentii denso obruat eum pulvere. Sufficiat igitur Te Neo-Doctorem hac brevi prosequi paginâ; quæ sicut echo, vocem: speculum, solem: fructus prodit sementem; ita repenso amore, amoris expensas præsentat officiosa. Per labores & merita, viam Juris ad Doctoralem expediisti Lauream; necesse est, ut pro Te vota laborent faventia; in Jure utroq; Laureato Capiti, vernantem auspicatissimîs successibûs coronam, pro more suo, oblatura. Ad hanc invitat Te Paternus candor Viri & Seniô venerandô & Literarum continuô Studiô Magni, Perillustris Clarissimi & Admodùm Reverendi Domini M. GASPARI TOPINSKI, Utriusq; Juris Doctoris & Professoris, Ecclesiarum; Collegiatæ SS. OO. Cracov: CUSTODIS, S. NICOLAI ad Cracov: PRÆPOSITI, &c. &c. Tibi intrinsecus,

ſicut à primo Vitæ Academicæ diluculo intimus, ita omnî momentô dierum gratiosè præſentiſſimus; ut pote Cui amantiſſimum eſt Te in Auge hac fortunatum in utroq; Jure ſpectare Doctorem. Invitat Te & Almum Sceptrigeræ Matris Univerſitatis Gremium; cui quia optatum extiteras ac ad præſens exſtas delicium; honori Tuo applaudendo, congregato univerſorum Doctorum ac Profeſſorum Ordine, Sceptris decorata ſuis, Te in Sedem Doctoralem deducit. Invitat Te vel maximè ampliſſimus favor Gratiani Academici, Viri de Eccleſia & Republica Literaria meritiſſimi, re & nomine Joannis, Perilluſtris & Reverendiſſimi Domini D. M. JOANNIS LUKINI, Utriusq; Juris Doctoris & Profeſſoris, Canonici Cathedralis Cracov: &c &c Tui Promotoris Digniſſimi; quam quia cum Doctorali recipis Biretho; ei per Annulum deſponſaris, oſculô Pacis conjungeris; ideo frondentem affectûs palmam, frondentibus cum lætitia publica floribus animorum conjungit. In quorum prolixioribus ramis, candor fidelis, quæ inſcripſit, cælum versùs eſt; ne tamen ſinceritas Tuorum Te lateat, legere conceſſum: ut prehenſum Doctoralem Librum, tamdiu glorioſus geſtias, in Laurea Doctorali tamdiu honoribûs floreas, Doctor Juris, tamdiu fauſtiſſima cuncta jure poſſideas; donec in longæva vita, ſæcula coronent Te, per labores & merita viam Juris, ad Coronam hodie terminantem.

